

1. Bagge f. A. Ehregott Nic. / diff.
de Sapientia Christi in Electione,
institutione atq. missione
Apostolorum, Jenæ 1752.

2. de Balthasar f. D. Jac. Henr. / diff.
de Doctrina et Praxi in Pomerania
Suevica, circa Nuptias prohibitas
Gryphiswaldie 1752.

3. ——— diff. de temporis plenitudine
Gryphiswaldie 1750.

4. Bardt f. D. Joh. Fried. / diff. de
applicatione homiletica, Lipsiæ
1752.

5. Baumgarten f. D. Sigism. Jac. /
Vindiciæ vere et realis Corporis et
Sanguinis Christi in S. Coena presentibus
ab oppugnationibus Benj. Howley Hallæ
1749.

AD ACTVM SOLENNEM
L I C E N T I A E

S V M M O R V M
IN THEOLOGIA HONORVM
C A P E S S E N D O R V M

AMPLISSIMO CANDIDATO

IN AVDITORIO MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII
DIE XVIII. APRILIS MDCCCII.

I M P E R T I E N D A E

P E R Q V A M O F F I C I O S E E T H V M A N I T E R
I N V I T A T

PRO-CANCELLARIVS

D. IO. CHRISTIANVS HEBENSTREIT

S. THEOL. PROF. P. COLLEGII MAI. PRINCIPVM COLLEGIATVS,
CAPITVLI CIZENSIS CANONICVS, ALVMNORVM REGIORVM
EPHORVS ET ACADEMIAE H. T. RECTOR.





Gloriosae resurrectionis Christi memoria, quae hoc tempore in ecclesia per omnem orbem diffusa celebratur, cunctis illius genuinis ciuibus tanto in pretio est, vt illam praecipuis spei et solatii causis accenseant. Est enim, teste Apostolo, nostrae iustitiae per mortem Iesus partae confirmatio; quia per illam factum est, vt nobis de praestito pro nobis redemptionis pretio sufficientissimo, eodemque a iustissimo aequae ac benignissimo Iudice pro offensis nostris accepto ratioue habito, nunc plane constet, nihilque dubii amplius de plenissima expiatione superfit; postquam praedem e carcere dimissum esse, quod ante solutum debitum fieri non solet, e magnifico Redemptoris ex sepulchro reditu apparet. Sed et aliud est, quod ex dulcissima hac doctrina emanat, solaminis argumentum; nempe ardui de corporum nostrorum futura e puluere terrae restauratione dogmatis grauissimum fulcimen; quod ramen, cum classico 1 Cor. XV, 17. loco fundatum sit, atque hancece ob auctoritatem dubio omni merito carere debeat, iam persequi non libet; quandoquidem hoc et ab aliis alibi abunde factum est. Vltro igitur hinc sequitur, vti mortem et totum Messiae opus satisfactorium, ita et resurrectionem Eius, indubias expectandae post fata, aut benefactorum remunerationis aut malefactorum vltionis, vindicias suppeditare. Quorsum enim haec omnia, nisi vt, qui tanto beneficio recte sint vsuri, beatis sedibus illati aeternum gaudeant, qui vero eodem rite et ex diuino praescripto vt recusent, infinitis adiudicati aerumnis, perpetuo doleant? Sic enim edixit decretoria Theodiceae sententia: qui crediderit saluabitur, qui non crediderit, damnabitur. Io. III. Inuoluit autem fides saluifica perpetuam Christi etiam ex mortuis resusci-

resuscitati memoriam. 2 Tim. II, 8. Ergo gloriosa Christi resurrectione beatæ vitæ a nobis expectandæ certissimum argumentum est.

Hæc equidem, utpote in vulgus nota, nisi quod parum plerumque ponderantur, disputatione non indigent; neque etiam hoc iam agere instituti est: ansem tamen, hæc proluendi occasio-
ne mihi oblata, præbent, de dudum disputata ab aduersariis quaestione dispiciendi, an etiam ante Christum natum, passum, e mortis vinculis extricatum, et orbi terrarum per Apostolos manifestatum promissiones de futura post hanc vitam beatitate extiterint, inque Veteris instrumenti Codice inueniantur? Atque etiam ne hæc quidem in causa dudum ab aliis actum agere impræsentiarum est constitutum; siquidem quem Socinistæ errant errorem, Patribus sub œconomia veteri præter terrenas et corporeas promissiones, nullas factas esse inde ab Adamo lapso spirituales et æternas, alii cordati Theologi nostrates a B. Io. Oleario in Synopsi Controuersiarum Socinianarum disp. XIV. thesi LXIIX. contra ibidem allegatos aduersarios longa serie excitati, iam pridem solide confutarunt. Et coecus foret, qui non in Prophetis et hagiographis dilucidas vitæ æternæ promissiones, et oppositorum cruciatuum comminationes videat. Sunt enim isti libri ea ipsa Scriptura, in qua, Optimo seruatore monente, Iudæi vitam æternam se inuenire, non dubia opinione, sed certa persuasione statuebant Io. V, 39. Sed hoc iam imprimis videbimus, an ipse etiam Moses, Iudæorum legislator, in formanda suæ gentis republica, quod suis post Genesin, libris effecit, de futuris præmiis aut poenis cogitauerit, eorumque aliquam mentionem fecerit, siue, quod eodem redit, an in Exodo etiam, itemque in Leuitico, Numeris et Deuteronomio de salute et calamitate æterna mentio iniiciatur, an vero prorsus nulla vestigia de expectandis post hanc vitam proborum aut improborum fatibus Legislator diuinus expresserit, illorumque an ciues suos plane non commonefecerit?

Affirmat hoc *Wilhelmus Warburtonus*, Anglus, Filii regii, regni-que hæredis, Ducis Walliæ Concionator allicus, in Libro, quem vernacula sibi lingua, edidit, et *de diuina a Missione Mosi* inscripsit; cuius germanica versio, Maxime Reu. Io. Christiano Schmidio Theologo Culmbacensi auctore, superiori anno, ex parte prodit, ex parte adhuc sub prelo sudat. Scriptio est, multæ eruditione profana, imprimis Aegyptiacas antiquitates explicante, se egregie commendans et lectu multo dignissima. De dogmatibus fidei, ecclesiæ suæ propriis, aliisque, caute nec sine iudicio

cio legendis, quae insperfit, iam nihil moneo. Facit id doctissimus Translator, notis hinc inde adiectis. Hoc tamen qualicumque lubricatione non indignum mihi visum est, quod P. I. L. IV. Sect. 2. p. 27. transl. germ. disertis verbis tradit, et argumentis se esse confirmaturum, in se recipit: *Mosen legislatorem, in iure iudaeico a se condito nullam futurae post hanc vitam compensationis et vindictae mentionem fecisse, neque partem illius efficere.*

Equidem tanti res momenti non esse videri poterat, si de Mose legum ceremonialium et forensium conditore existimeretur, eum de futurae vitae praemiis aut poenis nihil addidisse iis in libris, in quibus cultum et rempublicam Iudaeorum formavit; sufficere enim poterat, hoc alibi ab illo et a sacerdotibus, aliisque illius gentis doctoribus, factum, inque publicis ad plebem sermonibus inculcatum fuisse. Habebant enim sine dubio plures, praeter Mosen, Aharonem et Mirjamam, prophetas; quorum opera et studio in Dei cognitione et in addiscendis pietatis officiis illorumque praemiis post hoc etiam aeuum expectandis proficerent; siquidem de iis, ut de pluribus, Deus loquitur Num. XII. *Si quis vestrum Propheta Dei est, illi apparebo per somnium etc.* Et LXX. illos Seniores Spiritu Domini plenos, Mose in regenda republica succenturiatos, suam gentem etiam de necessariis fidei vitaeque doctrinis, quarum in historia migrationis per desertum mentio non sit, instruxisse, ac proinde etiam de futura animarum a corporibus solutarum conditione diligenter monuisse quis facile dubitauerit? vaticinabantur enim, et diuina oracula fundebant, Num. XI. 17. 26. Silentium autem scripturae, ad negandum nihil efficere, satis constat. Ac proinde Warburtonus negans, erroris adeo enormis, ut seueriorem censuram referat, reus forte non fuerit, utpote qui tum de aliis fundamentalibus fidei articulis, quos hinc inde in *Missione Mosis* attingit, tum maxime de futura post mortem utraque forte recte et sobrie sentit. Nam P. I. L. IV. Sectione V. p. 326. subiecta nota a M. R. Obseruatore commemoratur, illum a S. Reu. Baumgartenio laudari, quod causam Scripturae contra Newtonum egregie egerit. Et ipse Warburtonus de sacrorum oraculorum auctoritate ita statuit, ut quam diligentissime commendat. Quod dum facit, ipse de articulo resurrectionis, utpote in commendata a se scriptura fundato, non dubitat. Imo hanc doctrinam ipsis etiam Iudaeis innotuisse haud obscure fatetur. Afirmat enim, eam esse firmissimum reipublicae fulcrum; P. I. L. III. Sect. I. p. 461. seqq. Ex quo consequitur, illum, eandem in republica Iudaica instruenda, a Mose siue scri-

VI

pto, siue voce, sileri non potuisse, certo statuere; quia alias et absque hoc fulcro nihil ea fuisset infirmius, nihil reipublicae dissimilius. Alibi Mosén ab illorum accusationibus vindicat, qui illum vitam aeternam non credidisse, (ex hypothesi Aegyptiorum, quorum dogmatibus imbutus fuerit,) arguunt. Quodsi Mosén futurorum praemiorum spem animo suo concepisse, Warburtonus credit, quomodo illum, tam grauem tamque pium ciuitatis suae moderatorem, ciues suos hac doctrina vacuos reliquisse, existimare possét? Hinc de hacce Mosés fide, deque illius in ea suis tradenda assiduitate ac constantia confidenter alicubi pronunciat: illum in hac fundamentali lege de futura vita nihil concedere potuisse. Ergo Anglus, futurae vitae notitiam inter Iudaeos, cum desertum arabicum peragrarent, in illo suo quadraginta annorum exilio existisse, tantum abest, vt negat, vt potius grauissimis argumentis vindicet.

Cur tamen Mosés in libris suis, quibus suae gentis migrationem et legum iudaicarum promulgationem describit, hanc doctrinam non tetigisse, sibi videatur, hanc affert Warburtonus causam, in praefatione Libro IV. praemissa; vt nempe Iudaei intelligerent, legem Mosés non perfectam esse, sed expectandam perfectiorem per Christum, qui viam ad salutem sit traditurus. Verum haec ratio quemadmodum perquam incerta est, imo prope dixerim, praeter ingenium, nihil habet: ita ostendit animum auctoris forte non malum quidem, sed minus tamen, hac tanta in causa subactum; quippe quae Dei causa est et religionis, qualis tunc inter Iudaeos erat, purae et vnice per totum orbem verae ac saluificaе; a qua futurorum praemiorum et poenarum mentio abesse non poterat, ac proinde quicquam eorum, quae ad fundamentum eius pertinerent, et quorum id, de quo nunc quaeritur, e primis est, in illa tradenda celare Mosén non oportebat. Ergo haec pars doctrinae tam necessaria, vt sine illa religio consistere nequeat, vsque ad Christi tempora a Mosé differenda non erat.

Perquam igitur probabile est, de manium beata post mortem forte aequae ac cruciatiibus Mosén legislatorem non siluisse, sed quantum satis esset, tradidisse. Libet proinde, in gratiam inprimis studiosae nostrae iuuentutis, quae in Warburtoni Mosén nunc germanica ciuitate donatum forte incidet, ne in isto ingeniosissimi et doctissimi Angli asserto haereat, ostendere, „quod clarissima, „etiam in Legum Mosaeicarum pandectis, quas Exodus et Leuiticus exhibet, et Deuteronomium repetit, expectandorum post „mortem praemiorum et poenarum extent testimonia, „ Non enim,

enim, quod quidem imprimis factum opus esse videri possit, id iam agam, ut argumenta ab auctore pro sua causa adducta conuellem; hoc enim sibi M. Reu. Translator seruauit negotium, et facturum esse promisit, in praefatione parti I. praemisit; cuius in messem meam falcem immittere nolim; neque etiam auctoris circumscriptum limitibus prolusionis huius spatium permittit: sed de ipsa thesi, quantum per tempus licebit, productis in medium ex ipso Mose locis, videre animus est.

Et Genesin quidem, in qua praestantissima beatæ vitæ extant documenta, hic omitto, quia illa de republica a Mose formata nihil habet, utpote in cuius institutione Warburtonus aeternitatis nullam a Mose iniectam vult memoriam. Caeterum vel ex ipsa Genesi etiam causa hæc, quod nempe Iudæis tempore Mosi de præmiis poenisque futuris constiterit, præclare confirmari possent, si quis hæc de re dubitaret; siquidem illam in Iudæorum manibus, fuisse, et ab iis lectam, nullo modo dubitari potest; ideo, quia Mosem eius auctorem tribulibus suis, illam scribendo, consultum voluisse, rerumque ab orbe condito gestarum monumenta Dei imprimis populo conseruare intendisse, veri admodum est simile. Quem proinde librum si habuerunt, si manibus voluerunt, aut certe, si ex illo a doctoribus suis de momentis ibidem traditis commonefacti fuerunt, quid erat, quo minus ex illo, de futura post excessum e viuis beatitate et calamitate inter gentem istam tempore latæ legis constaret? quid prohibebat, quo minus, quoties de amicissimorum Deo hominum, Henochi, Noachi, Abrahami pietate; contra ea, de crassa Nephilæorum, et Sodomitarum feritate et spurcitie audiebant, et cum hisce largas benedictiones siue promissiones, nec non ex aduerso horrendas execrationes et diras imprecationes ad montem Sinai stantibus ex ore legislatoris sui propositas, coniungebant, de coeli deliciis orciq. cruciatibus cogitarent?

Sed hoc iam agamus! Nempe, Mosem, etiam cum rempublicam theocraticam formaret, præmia et poenas futuri æui non reticuisse, sed vtrorumque potius planissimam mentionem fecisse, si non expressis verbis, circumstantis tamen ita explicatis, ut cœci essent, qui non viderent; hoc est, quod, an satis probatum iri possit, nunc experiemur. Et quidem initio, magnum momentum in Seruatoris O. asserto est repositum, qui *Mosen* non minus, quam Prophetas, ab iis audiendum esse præcipit, qui locum tormentorum, quibus diues epulo affligebatur, euitare vellent, Luc. XVI, 29. Mosen vero qui audit appellari, is non tam de Genesi, quam de

VIII

de integro pentateucho, potissimum vero de lege a Mose lata intelliget. Habebat igitur Moses iis etiam libris, quibus officia Iudaeos ciuilia et cerimonialia docuit, aeternorum praemiorum poenarumque commemorationem, quos si legerent heluonis fratres, nouo de cruciatibus infernalibus monitore opus habituri non erant. Porro, si scripta Mosaica de passione et resurrectione Christi vaticinia continent; quorsum quaeso illa, nisi vt Iudaei iis in animarum post mortem superstitum salutem vterentur? Eliciebat autem rediuuius Redemptor non magis e Prophetis et Psalmis, quam ex ipso etiam Mose, discipulisque dilucitabat oracula, quae de se morituro ac proinde aeternam salutem genti humanae promerituro, ecclesiae iudaicae scriptis consignata reliquerat, Luc. XXIV, 44.

Verum hoc argumento satis quidem magni, vt videtur, ponderis nunc dimisso, hoc expendendum erit, quod ex ipsa forma, ipsaque adeo essentia reipublicae Iudaicae emanat. Erat illa θεοκρατία, ac propterea ad Deum, vt Dominum ac Regem suum colendum, erant obstricti, ac proinde illum colendi ratio modusque constitutionem illius reipublicae ingrediebatur. Coli Deus rite non potest, nisi per Messiam, extra quem nihil Ei placet. Messias autem non, vt temporalem ac ciuilem compararet felicitatem, promissus erat, sed vt spiritualem et aeternam. Et cum talis in tempore comparuerit, talem etiam Patres ante incarnationem expectarunt. Christum autem Iudaeis a Mose legislatore non fuisse propositum, quis affirmare audeat? cum totus ille apparatus leuiticorum rituum, in quo adeo operose defudandum erat sacerdotio aharonitico, vt sacrificiis nocte propemodum dieque finis non esset, nil nisi Christum eiusque expiationem proprio sanguine olim praestandam, sisteret. Testis est tum omnis noui foederis historia, tum Pauli epistolae, et, quam ad Hebraeos inscripsit, inprimis. Hunc autem, quae aut a vero aliena, aut ecclesiae veteri Iudaicae Mosis tempore, cum primum ritus sacrificiorum instituerentur, ignota essent, scripsisse, quis ita profanus sit, vt intra animum admittat? Hoc, quod in typis latet, momentum pro nostra causa tantum est, vt ipsi Warburtono assensum exprimat, in praefatione p. 5. affirmanti: „oeconomiam „Mosaicam typum euangelii fuisse, aduersarii agnoscunt et recte „quidem, nec sine fundamento. „ Iam Euangelium, cultus leuitici, quoad sacrificia, ἀγίστυπον, aeternas proponit pollicitationes; ergo idem in typo fuisse, paritatis, quam inter vtrumque esse oportet, ratio postulat. Habuerunt ergo sacrificantes Iudaei aeternae salutis spem, in ipsis sacrificiis fundatam, et ex iis hauriendam,

riendam, quae, sine diuina promissione, temeritas potius quam spes fuisset. Vnde autem habere potuerunt, nisi a Mose, sacrificiorum, quantum quidem ad causam illorum ministerialem attinet, magistro et auctore, eodemque doctore et interprete.

Sanctissimus legislator e monte Sinai quid Iudaeos fieri vellet pronuntiaturus, ita praefatur: Ego sum Iehouah *Deus tuus*; aequae ac se Deum patrum, Abrahami, Isaaci et Iacobi esse, Mose ad rubum ardentem adstanti, eidemque futuro ad gentem legato professus fuerat. Quorsum haec? eo nempe, vt, interprete Seruatore, intelligerent, et semper animis secum voluerent, Deum non esse mortuorum, sed viuorum. Viuebant igitur dum mortui, Abrahamus cum caeteris Patriarchis, victuri et ipsi erant, quibus hoc ad montem adstantibus edicebat. Victuri autem vitam erant, non, quae sine fine foret temporalem, quod in mentem iis venire non poterat; vitam igitur post fata aliam, eamque pro gestorum ratione aut prosperam aut infausam futuram; quia alias mortuorum, paulo enim post morituri erant, Deus fuisset, quod incongruum dictu esse, sapientissimus interpres, ipsa substantialis Sapientia, in lite sua cum Sadducaeis iudicat. Quicquid autem is de Deo Abrahami allegat, idem etiam de Iudaeis omnibus valere, inde perspicuum est, quod ipse Iehoua, quando foedus cum Abrahamo icit, se ipsius et feminis eius Deum fore, pollicetur. Ergo et Abraham, et semen eius victuri erant, vitam nempe post hanc, aliam. Non est, cur haec subtilius disputari, iure aliquo existimari possit; siquidem diuinus disputator, hoc ipso argumento Sadducaeos, simul atque illud audiebat, ita conuincebat, vt contra hiscere non auderent. Facile enim cogitando assequi, etiam nemine monente, poterant, et procul dubio assequebantur etiam, tum ipsi, tum maiores eorum, qui in Mosis aetatem inciderant, foedus Dei cum hominibus ita solenne et ita explicatum, quale erat, quod cum Abrahamo et femine eius pepigerat, plus inferre, quam nuda beneficia temporalia et breuis adeo aeu. Nam haec felicitas, quae huius curriculi concisis terminis circumscribitur, etiam gentibus permultis profanis obtigit, quae cum Deo in foedere nunquam fuerunt, Aegyptiis, Assyriis, Tyriis, Persis, Graecis, Romanis; quorum stupendas opes, exercitus numerosos, vasta imperia, inuidendas victorias, famam et gloriam ad posteros prolatam quis est qui ignoret? Et quid opus erat, honestatem morum mere ciuilem, aut etiam reuerentiam Dei mere naturalem, tam sedulo, tam serio, tam frequenter inculcare, vt factum esse in lege Mosaica nouimus, si praeter

X

ter naturalem cultum nullum alium, illo longe sublimiorem, et praeter huius vitae commoda nulla alia multo praestantiora et durabiliora intendisset? Pependissent enim haec quotidiana, a naturali Dei aequitate, qua fit, vt omnem honestum laborem bene operantibus compenfer, nec tantis promissis tamque solennibus stipulationibus, quales sunt, quae in foedere Abrahamitico intercesserunt, opus fuisset. Igitur Optimum Maximum legis Auctorem *Deum Iudaeorum* esse, formula erat, quae in ipso statim legis primordio aeterna foederatis suis praemia promittebat, et exi opposito infinita mala refractariis minabatur. Plura ad hoc dogma confirmandum aut certe illustrandum, ex Sepher Ikkarim collegit Voisinus Introduct. ad Raymundi Pug. Fidei p. 80. seq. Ed. Lips.

Pertinent ad hoc foedus cum Abrahamidis initum etiam Sacramenta vtraque, circumcisionis et Agni paschalis; quibus Moses in republica ordinanda operam suam locauit; illam confirmandi ac de nouo commendans, hunc diuino iussu instituens. Sunt enim vtraque nobilissimae rituum sacrorum leuiticorum in ista ciuitate partes, sine quibus illa subsistere non potuisset. Circumcisionem enim qui aspernabatur, ciuis Iudaeus esse non poterat, excindendus quippe e populo suo: Paschalis autem si quando negligentia Praesidium illius reipublicae intermissum fuerat, a pijs successoribus, v. g. Hiskia, Iosia etc. sedulo restituebatur, vtpote sine quo cultu reipublicam illam, theocraticam quippe, integram et factam esse non posse, intelligebant. Sacramentorum finis est, fidei collatio et confirmatio, vterque intermedius; vltimus, propter quem etiam ipsa fides est, aeterna salus. Ergo, cui genti sacramenta data sunt, illi futurorum praemiorum spem esse factam, vltro sequitur. Accedit ratio antityporum, baptismi, respectu circumcisionis Col. II, 11. et Christi pro nobis immolati 1 Cor. V, 7. et cruribus in cruce integris seruati Io. XIX, 36. respectu agni Paschalis. Si antitypi, Christus et baptismus futurae beatitudinis causae sunt, quis idem typis inuisisse, negauerit? Praeuidere mihi videor aduersariorum exceptionem, haec ex nostratium de sacramentis et typis hypothese desumpta esse, nec satis stringere dissentientes posse, cauentium. Largior tantisper, non conuenire nobis in hac ardua sacramentorum materia cum seculis statuentibus, nec illos nobiscum de hisce salutis remedijs ita digne, vt decet, statuere: Sed largientur et ipsi, formulas iis, cum primitus conderentur, additas, *foedus Dei* Gen. XVII, 10. *festum Iehouae* Exod. XII, 11. multo esse sublimiores, quam vt pactum saltem de temporalibus et cito perituris, et non potius de aeternis beneficijs

beneficiis in initum significant. Vrgendum enim hic iterum et repetendum foret, quod paulo ante de, *non mortuorum, sed viuorum Deo*, Christi auctoritate disputatum fuit. Et, quod Deus per istas duas sacrosanctas ceremonias genti in foedus suum receptae peculiari prorsus modo confirmare intendebat, illum esse suum מלכת כהנים et כהרה peculium et possessionem, item כהנים et כהרה Ex. XIX, 6. sine dubio aliter intellectum noluit, quam secundum Petri interpretationem, haec formulas ad ius hereditatis coelestis et aeternorum cum illa coniunctorum beneficiorum pertinere affirmantis, Ep. I. c. 2. 9. et proinde tuto et plane confidenter asseri oportet, Iudaeos ad montem Sinai constitutos haec dulcissima verba foederalia ex Mosis, Dei ad populum interpretis promulgatione audientes, iuxta Petri mentem de coelestibus intellexisse, nec aliter illos a magistris suis, Mose eiusque collegis, edoctos fuisse; quia idem erat veritatis Spiritus, qui per Mosen et Petrum oracula promebat, in vtroque fallere nescius, non ambiguus, non flexiloquus. De circumcisione autem imprimis tenendum est, quod aliam Moses non repetiuerit, quam qualis erat Abrahamitica; hanc autem Patriarcha accipiebat, Paulo teste, in sigillum *iustitiae fidei* Rom. IV, 11. Iustitiae fidei praecipuum obiectum aeterna esse beneficia, ita est perspicuum, vt nihil magis; neque etiam dubium potest esse vllum, quin de circumcisionis sine idem plane, quod Paulus commemorat, suos auditores docuerint, quibus in deserto, Mose legislatore rerum potente, docendi munus erat traditum; id quod ex perpetua, eaque vnicuique diuinorum oraculorum et statutorum veritate, siquidem Deus veracissimus a se dissentire nequit, liquido apparet.

Quod autem sunt, qui, Mosen omnem sapientiam Aegyptiorum in aula Pharaonis edoctum, rempublicam Iudaicam ad normam aegyptiacae, in qua de praemiis futurae vitae nihil innotuerit, instituisse volunt, ac proinde etiam commemorationem compensationis in altero aeuo expectandae in republica Iudaeorum frustra quaeri contendunt: id temere fieri ex hoc ipso apparet, quia commemorata iam sacramenta, non ab aegyptiis adscita, sed iudaeis propria, introduxit. De paschate nemo intercessit vquam; de circumcisione vero, de qua, vtpote Colchis etiam, Aegyptiis et Aethiopibus recepta, Herodotus, Diodorus Siculus, Philo, Sanchoniato, commemorant, satisfactum dudum est a doctissimis hominibus, qui originem Abrahamo et posteris eius, Iosephi tempore in Aegyptum delatis vindicarunt; de quo videri poterit Spencerus LL. hebr. ritualibus Edit. Tubing. p. 55. Apparet

XII

parèt ergo ex his, quam longe in formanda sua republica Moses ab Aegyptiis recesserit. Sed et aliud est argumentum non minus graue, imo hoc etiam multo firmitus, quod Mosi omnem arbitriam in condenda republica sua operam eximit; eique adeo libertatem, illam ad normam aegyptiacae componendi prorsus eripit, nempe, quod quicquid in hac causa agebat, Dei iussu, cui ad vnguem obtemperabat, exequabatur. Sicut enim tabernaculum foederis iuxta typum in monte sibi exhibitum, ne extremo quidem apice inde recedens fabricabatur, nec, nisi ad motum nubis, castra mouebat et locabat, nec in causis ciuilibus, si quid esset ambigui, nisi consulta Schechina, sententiam ferebat; vnde subinde in libris eius legimus, ex ore Dei ad eum peruenisse vocem: dic ad illos: ita in reliquis omnibus, ad formam nouae disciplinae constituendae pertinentibus, nihil suo ausu suouae arbitrio, omnia ex Summi numinis voluntate, instituisse et administrasse censendum est. Iniqui ergo sunt in virum tantum, tamque religiosum, fidissimum Dei seruum, qui, illum in causa Dei, aut ex norma profanae Aegypti egisse, aut suo ingenio in constituenda religione ac republica iudaica obtemperasse, affirmant; neque multo iis aequiores, qui praemiorum futuri seculi nullam illum in lege sua mentionem, cum contrarium potius ex haecenus dictis elucescat, fecisse autumant.

Praeterea non apparet, qui fieri potuerit, vt Moses legislator, ipse de aeternis praemiis persuasissimus, hoc tantum argumentum, quo aliud ad excitandum pietatis et ciuiliū officiorum studium non potest esse grauius, ciues celaret suos, et non potius, inculcaret, quam posset diligentissime, quacunq; demum legis suae pericopa formulae id fecerit. Mosē autem fide et propter Christum, Aegypti diuitias et honores aulicos repudiasse, et exilium cum spe futurorum post hoc seculum bonorum, delicias mensarum regiarum et spartis in gente per orbem tunc celebratissima opimis, et maternis regiae filiae amoribus, et gloriae adoptionis in regiam familiam longe praetulisse, Apostolus auctor est, Ebr. XI, 25, 26. Quid autem fides, quid Christus, quid illud Aegypti opibus maius, quid *μυσταγωγία*, quae eum cum populo Dei exulare iuebant? l. c. nisi reposita piis in supra coelestibus praemia nullis saeculorum saeculis desitura? Cumque populo suo prophetam sui similem, id est, futurum Messiam promitteret, e Iudaeorum profapia nasciturum, iridem Spiritu Sancto per Petrum Actor. III, 22. interprete; quid aliud animo concipere poterant, quam reparandam per illum aeternam salutem, protoplastorum luxu-

luxuria decoctam? Iterum vrgeo iterumque, non potuisse Mosen haec aliter intelligere, quam vti sanctissimi noui foederis oratores suis auditoribus exposuerunt. Mosen autem, de praemiis et poenis post mortem ita conuictum vt magis esse non posset, hanc veritatem suos celasse, et non potius, quam posset, diligentissime docuisse, quis, nisi iniquus fidei eius aestimator, autumat?

Affine huic argumento est Bileami de stella e Jacob oritura oraculum Num. XXIV, 17. Quod sicut multi Iudaeorum, teste A. Esra ad hunc locum, de Messia interpretantur, quibus et Auctor Haturim, quem Iacobum F. Ascher, Sec. XIV. esse, e Wolfii Biblioth. Hebr. P. I. p. 582. 584. constat, et cuius Cabbalistica super Pentateuchum in Buxtorffii Bibl. Hebr. extant, adstipulatur; ita sine dubio Iudaei in deserto, ad quos pertinebat illud vaticinium, Mose imprimis interprete, de eodem Messia, Seruatore mundi olim futuro, intellexerunt. Erat enim illa stella, illud sceptrum, de quo Bileamus pronunciat, talis rex futurus, qui non Moabitas solum, sed omnes filios Seth, omnes per totum orbem incolas esset contriturus, i. e. eorum contumaciam fracturus, et sub obsequium euangelii redacturus, conf. Pl. II, 8. 9. Quod Dauidem, de quo Iudaeorum plerique accipiunt, nec fecisse, nec potuisse, satis constat. Ex Sethi enim posteris Noachus cum filiis oriundus erat, a quibus tota profapia hominum post diluuium fata est. Totius autem orbis dominium nusquam aut ad Dauidem, aut alium quemcunque regem, peruenit, sapissime autem in sacris literis ad Messiam transiturum esse legimus. Praestantissimum locum ex Sepher Ikkarim siue de articulis fundamentalibus fidei Iudaicae, cuius auctor est Iosephus Albo Sec. XIV. scriptor, allegat Voisfnus Prooem. ad Raymundi Pug. Fidei p. m. 81. edit. Lips.

Poteram addere, quod requiei mentio Pl. XCV. et Num. XIV, 22. fiat, ad quam multi refractariorum, qui exploratorum formidolosis sermonibus de difficultate occupandae Palaestinae deterriti, de felici conatuum suorum euentu desperabant, non essent intraturi; requiei nempe, in coelesti patria expectandae, quae Pauli est explicatio Ebr. III, 17. nisi vereretur, hoc dissentientibus longius petiturum, et ab Apostolo per accommodationem potius, quam per exegetin dictum esse, visum iri. Sed salua etiam huic argumento res est. Solet enim id genus hominum, quando clarissimis N. Foederis applicationibus se constringi ac teneri vident, ad accommodationes, tanquam ad asyllum erroris dicam an pertinaciae suae? confugere, in quo delitescant; quamquam nulla ratione satis firma ducti. Vnde enim accommodationem

XIII

nem suam stabiliant, quando ad causam asserti sui proferendam euocantur, plerumque non habent. Nobis autem, si pro requie aeterna ex loco Mosi excitato nihil esset, quod per vim praecisae demonstrationis illos ad silentium redigere posset, probabilitas tamen, quae demonstrationi proxima est, ad causam nostram accedit, quae tanta est, ut nihil fere dubii relinquat, quin ad aeternorum simul habitaculorum incolatum sub quieta palaeestinae possessione, diuinum oraculum respexerit. Est enim ἐμφανώτατος, quod Deus minatur, reprobos illos ad suam requiem non esse peruenturos: **אֱלֹהִים יִבְרָא אֶל־מִוֹרָתִי** (formula iurandi et obtestandi elliptice omissa: Deus non ero) si ad MEAM requiem peruenient. Pf. XCV, 11. *Dei* autem requies, palaeestina conuenientius, an coelestis patria appellari queat, videant et iudicent, qui de loci siue euidentia siue probabilitate dubitant. Admodum igitur est probabile, Mosenc aeterosque gentis iudaicae illo tempore, quo in deserto migrabant, doctores illam de palaeestinae antitypo, scilicet de coelesti patria, saepe admonuisse, atque adeo etiam hoc argumento aeternorum praemiorum vestigia in lege Mosaica extitisse:

Vt per saepe in libris Mosi legalibus *beati et benedicti* praedicantur, qui supremi Numinis obtemperant scitis: ita diris deuoueri, et *maledictos* pronunciari improbos frequentissimum est. Deut. XXVII. Benedictio ista quid sit, quid maledictio, Paulus disertis verbis docet Gal. III, 10. vbi Christum per suspensos ab infelici ligno maleficos eosque propter hoc supplicium *maledictos* appellatos, praefiguratum, hanc ob causam huic atroci supplicio subiectum fuisse docet, ut maledictionis oppositum, nempe Abrahami benedictio gentibus compararetur; ad implendum diuinum promissum; per Semen eius benedictos fore beatosque omnes per vniuersum orbem populos. Hanc benedictionem quisquis de temporali non intelliget, intelliget autem opinor nemo propemodum; is de spirituali et aeterna non accipere non poterit. Habemus igitur in lege Mosaica, qua rempublicam instaurabat, aeternorum praemiorum aequae ac poenarum perspicuum argumentum, diuina Apostoli auctoritate fultum.

Sunt praeter haec, et alia Iudaicorum doctorum argumenta, quae e lege Mosaica pro futuris praemiis ac poenis afferunt, non illa quidem omni exceptione maiora, neuiquam tamen prorsus aspernanda. Prouocatur in citato supra Sepher Ikkarim siue de fundamentis libro, ad Deut. XXXII, 39. vbi Deus de se praedicat, **אֲנִי הָאֵל אֲשֶׁר יִבְרָא אֶת־הַמּוֹתָם** se esse *qui occidat* et (quid illi supplet, qui occisos in die extremo) *ad vitam reuocet*; allegante Voifino l. c. p. 81. b.

Et

Et hanc bene multorum esse sententiam, A. Esra ad h. l. addit, simul commemorans, resurrectionem mortuorum et vitam futuri seculi etiam ex PEXLIX, 16. vbi vates ait: Dominus meam animam redimet e manu inferni, יְקַחֵנִי יְיָ nam recipiet me, *ad modum Henochi et Eliae*, de quorum receptione in beatas sedes haec ipsa vox adhibetur Gen. V, 24. 2 Reg. II, 3. probabilem reddi posse. Sed quia occidere et viuificare, ipso A. Esra l. c. obseruante, etiam allegorice de calamitatum immiffione et ex iisdem liberatione capi potest; hinc est, cur hoc argumentum intra probabilitatem subsistat quidem, non tamen omnino sit repudiandum.

Addunt Ikkarim a Voifino l. c. p. 81. allegati, locum Deut. XXXII, 46. 47. vbi Deus legum suarum obseruantibus vitam pollicetur, et *dilatationem dierum*; illam de vita beata, hanc de temporali interpretantes, et, tum huius tum illius seculi praemia pios manere, hinc elicentes; quam sententiam multorum esse, etiam A. Esra ad huius capituli v. 49. affirmat. Et ad Deut. XIV, 1. apud eundem Voifinum p. 80. b. incisiones super mortuis ideo Iudaeis interdictas fuisse aiunt, vt monerentur, non esse more gentilium, quorum is incidendi mos erat, lugendos mortuos, quia quondam sint ad beatiorum vitam redituri, et propterea veluti ne habendi quidem pro mortuis, ipsissimo prope Pauli argumento. 1 Thes. IV, 13. Sed haec quidem, sicut optime sunt dicta, et cum Patriarchali fide de futuris praemiis plane congrua: ita tamen, an ex mente sacrorum auctorum, vereor ne multi dubitent, eaque thesi illustrandae, quam probandae et confirmandae aptiora esse, haud immerito iudicent.

Haec erant, quae de Warburtoni sententia mihi succurrerant, cum sacrae exegeticae studiosis non inutiliter communicanda, cum solennium academicorum, Candidato Praestantissimo a Reuerenda Facultate Theologica decretorum significatio publice esset facienda. Est is VIR MAXIME REVERENDVS ET AMPLISSIMVS
M. BENIAMIN GOTTLIB CLEMENS,

Bethaniae ad Viadrum in Silesia MDCCXII. mense Nou. natus, parentibus probis; Patre, Ioanne Friderico Clemente, nobiliorum metallorum auri argentique tractandorum artifice peritissimo, matre ex ingenua in Silesiis gente Mulleria. Horum cura factum est, vt a teneris fide Euangelico-Lutherana ac disciplinis politioribus a priuatis Paedagogis fidelissime imbutus, Rectori scholae Fraustadiensis Lauterbachio, Viro doctissimo, cuius fidem in se poliendam, et graecis praecipue et hebraicis litteris, instruendo, imprimis praedicat, traderetur. Hinc Wratislauiam delatus in Elisaberha-

no


no et Magdalenaeo Gymnasio, ex Teubnero et Burgio, in theologicis; in litteris humanioribus ex Cranzio, Pohlenio, Dachselio, Stiefio, Koehlero et Rungio clarissimis viris profecit. Bienio exacto Lipsiam MDCCXXXI. adiit, vbi Rectore t. t. Magnifico, B. Clausingio Studiofis adscriptus est; et Beati praesertim Ioannis Schmidii patrocinio fultus feliciter egit, illumque et Clausingium ac Pfeiferum *res manusq[ue]*; et adhuc superstites Boernerum, Deylingium Viros Summos, in philosophicis Rudigerum, Mullerum et praesertim A. Fr. Hofmannum publicis et priuatis audiuit scholis; in hebraeis autem, quod iucundae mihi recordationi est, meo commilitio interfuit. Inde Ienam et Wittebergam per semestre spatium salutauit, a qua Magistri honoribus mactatus Dreisdam petiit MDCCXXXIV. et a Magnificis Theologis Marpergero, Loeschero et Gleichio humanissime exceptus, eorumque commendatione adiutus in tribus Illustrissimis Saxoniae Familiis Schoenbergiana, Einsideliana et Holzendorfsiana instituendae in bonis literis Illustri Iuuentuti est admotus. Denique Illustrissimo Comite Holzendorfsio Maecenate suo Indulgentissimo gratiosissime commendante, MDCCXXXI. Doehlauensem Parochiam prope Wydam in Variscis nactus, et paulo post ad splendidum munus Pastoris et Superintendentis Herzbergae euectus est.


Hunc, postquam priuatis colloquiis et lectionibus publicis eruditionis suae theologiae documenta edidit, honoribus in Theologia supremis dignum iudicauit Reuerenda Facultas. Quod vt more maiorum rite fiat, *Licentia* eorum capeffendorum Illi est impertienda. Obtinebit illam a me, Procancellario ad hunc solennem actum clementissime constituto, postquam conscriptam a se disputationem de Criterio religionis christianae primario, vt praesentibus testibus doctis, rationem doctrinae suae reddat, et quam priuatim ostendet, etiam publice comprobet doctrinam, ventilauerit. Dictus est hisce peragendis dies Martis proximus; quem vt honorifica sua praesentia, obseruantissime a me priuatim rogatus, et nunc publice etiam compellendus MAGNIFICVS PRO-RECTOR, Illustrissimi Comites, Vtriusque reipublicae Amplissimi Procures, cum generosissima et nobilissima iuuentute studiosa, celebriorem reddant, id est, quod Facultatis, meoque, nec non Amplissimi Candidati nomine, perofficiose et peramanter rogo. P. P. Domin. Misericordias Domini MDCC LII.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

00 A 6416

R





27

AD ACTVM SOLENNEM
L I C E N T I A E
S V M M O R V M
IN THEOLOGIA HONORVM
C A P E S S E N D O R V M
AMPLISSIMO CANDIDATO
IN AVDITORIO MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII
DIE XVIII. APRILIS CIOIOCCCLII,
I M P E R T I E N D A E
P E R Q V A M O F F I C I O S E E T H V M A N I T E R
I N V I T A T
PRO-CANCELLARIVS
D. IO. CHRISTIANVS HEBENSTREIT
S. THEOL. PROF. P. COLLEGII MAI. PRINCIPVM COLLEGIATVS,
CAPITVLI CIZENSIS CANONICVS, ALVMNORVM REGIORVM
EPHORVS ET ACADEMIAE H. T. RECTOR.